

Mlof

214 A

DISSE^RTAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
CAVTA ET CIRCVMSPCTA
VENENI DATI ACCVSATIONE

QVAM
AVSPICE SVMMO NVMINE
EX CONSENSV ATQVE AVCTORITATE GRATIOSÆ
FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA FRIDERICIANA

PRÆSIDE
DN. FRIDERICO HOFFMANNO
ACADEMIÆ ORDINISQUE MEDICORVM SENIORE
ET h. t. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
MORE MAIORVM RITE CAPESSENDIS

H. L. Q. C.

D. 29. Maii. MDCCXXXIV.
PLACIDÆ ERVDITORVM VENTILATIONI EXHIBET
AVCTOR RESPONDENS

JOHANNES GODOFREDVS PARREIDT
DELICIENSIS MISNICUS

HALÆ MAGDEBURGICÆ
Typis Ioh. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

de
CATY HIC GREGORIUS ET
ARISTOTELIS GREGORIUS
ATQUE EXPOSITIONIS
DNO GREGORIO CARO
PFU
DNI
POTENTISSIMI SARUM TARUM NEG
ET SEMPERMI SAXONIAE TERRITURAE
SCHENSI DUCIS XXII - MARTIAPAGEN
SI CONSILARIO TITIMO REGIMINIS
QVOD MVRISURIS ET ERECTIONIS
HABEBIT CVM CIVITATIBUS
DOMINI ET PATRONIS
LVTI CONVENTU

5
Tibie per eum, fratres, dñe tibi



VIR O
PERILLVSTRI GENEROSISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO
D O M I N O
DNO GEORGIO CAROLO
DE PFLUGK
DYNASTÆ IN EHRENHAYN &c.
POTENTISSIMI SARMATARVM REGIS
ET SERENISSIMI SAXONVM PRINCIPIS ELE-
CTORIS ÆQVE AC REVERENDISSIMI ET
SERENISSIMI DVCIS SAXO - MARTISBURGEN-
SIS CONSILIARIO INTIMO REGIMINIS
QVOD MARTISBURGI EST
CANCELLARIO
DOMINO ET PATRONO MEO
ÆTATEM COLENDO.

VIR PERILLVSTRIS
GENEROSISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME
DOMINE.



On dubito fore, VIR PER-
ILLISTRIS , ut mireris
audaciam hominis TIBI
nec facie nec officiis suis
cogniti , qui levidense hoc profectum a-
cademicorum specimen PERILLUSTRI
TUO NOMINI consecrare nullus verea-
tur.

tur. At vero , licet ipse ego haud diffi-
tear , magnum esse , quod ausus sum :
TUÆ tamen humanitatis tanta est apud
me fiducia , ut coepi non modo veniam,
sed & benevolam interpretationem mihi
certus augurer. Compluribus enim ex-
emplis ac testimonii persuasus sum , TE ,
more Excellentissimorum animorum , ni-
hil omnino , quod ex piæ & sinceræ men-
tis affectu profectum est , despicere , nec
infra celsitudinem animi TUI positis , pa-
trocinium TUUM anhelantibus , grati-
am denegare. Novi etiam , TE , licet
quamplurimis iisque gravissimis quotidie
negotiis atque expeditionibus distringaris ,
non solum ipsum eruditionis TUÆ soli-
disimæ cumulum in dies augere , sed et-
iam illos , quos in musarum castris stipen-
dia meruisse constat , magna sane atque
inexpectata sape clementia prolequi. Quid
itaque mirum VIR PERILLUSTRIS ,

quod meæ etiam qualescunque pagellæ publicam lucem visuræ, patrocinium **TUUM** contra iniquas adverlariorum censuras quam humillime sibi expetant? Quid, inquam, mirum, quod sub umbra alarum **TUARUM** optime ab omnibus hostium insultibus tutas se existiment? **TIBI** itaque **VIR PERILLUSTRIS, GENEROSISSIME, ATQUE EXCELLENTISSIME**, eas trado, consecro, totasque unice devoveo, nullus amplius dubitans, quin benevolo a lacrique vultu eas sis excepturus. Tanto autem fortius hoc confido, cum materia, quam in illis tractavi, licet medica, forum tamen etiam & negotia criminalia ingreditur, in iisque usum præstet sane non exiguum; cuius censorem quin in **TE** deprehendam uti limatissimum ita benignissimum, nullus dubito. Accipe itaque, **PATRONE MAXIME**, hæc quantulacunque ingenuæ mentis dona, & serena fronte,

te, si vacat, perlege, eorumque auctori, si
non indignus, cui faveas, videtur, fave. De-
usa autem O. M. TE & PERILLUSTREM
TUAM FAMILIAM publicæ plurimorum
saluti atque utilitati salvos, sartos ac tectos
diu conservet, & majora in dies splendoris,
gloriæ & omnium bonorum concedat in-
crementa. Quod reliquum est, TIBI ut
me habeas commendatissimum, omni, qua
decet, animi observantia contendeo,

VIR PERILLUSTRIS

GENEROSSISSIME ATQVE
EXCELLENTISSIME,

PERILLVSTRIS TVI NOMINIS

Dab. Hale
d. 28. Maij 1734.

*humillimus ac devotissi-
mus cultor*

AUCTOR.



CONSPECTVS.

Veneni notio. §. 1. Accusatio, quo sensu dicatur. §. 2. Venenatorum hominum genera. §. 3. Quid in suspi- cione venenati morbi agendum sit. Exemplum orse- nici incaute sumti. §. 4. Exempla æruginis, veneni effeclus edentis. §. 5. Venenorū aliorum in cibis appositorum, ut hy. scyami. §. 6. Coturnicum & alaudarum lolio temulento pastarum noxa. §. 7. Varios esse modos, quibus venenum in- cautis subrepat, aut in optimo cibo vel potu subnascatur. §. 8. Signa veneni æruginosi, aut alias erodenis metallici. §. 9. Obiter de eorum remediis. §. 10. Repletio ipsa ali- quando veneni instar lœdit. §. 11. Noxa potus frigidū post magnam incalescentiam. §. 12. Quæ nocentior fit assumto vomitorio. §. 13. Concursus repletionis, motus nimii, po- tus frigidū & saluum acerium. §. 14. Consectaria. §. 15. De venenis studio assumtis: seorsim de aqua forti. §. 16. De gummiguttæ. §. 17. De arsenico & cobalto. §. 18. de venenis metallicis erosivis. §. 19. Quid in sectionibus talium specia- elari debeat. §. 20. De Antimonatis venenosis. §. 21. An auripigmentum & adamas venena sint. §. 22. 23. De vene- no sic dicto mechanico judicium. §. 24. De venenis lentiis & insidijs, ut saturninis. §. 25. 26. De narcoticis & in- saniam facientibus, ut cicutæ speciebus. §. 27. 28. De sol- lano vulgari & furioso. §. 29. De datura, mandragora, opio. §. 30. De venenis strangulatoriis, fungis, elleboro, aconi- to, napello. §. 31. De venenis per vulnera illatis. §. 32.

DISSE-



DISSERTATIO IN AVGVRALIS ME DICA

DE

CAVTA ET CIRCVMSPCTA
VENENI DATI ACCVSATIONE.

PROOEMIUM.



Nter tot vias, quibus humanum genus ad vitæ exitum ducitur, haud infreuenter & illa teritur, quæ florentissimam sanitatem per venena aut incaute sumta, aut malitiose propinata, aut de-
nique ab hominibus de salute sua desperantibus, in-
consulta moriendi voluntate, sponte hausta in
perniciem præcipitat. Incidunt vero sæpe casus,
ubi beneficij suspicione exorta, medico, super ta-
li quæstione consulto, non minimum existimati-
onis suæ rectæquæ conscientiæ periculum immi-
net,

A

net, si judicio temere lato vel innocentibus molestias inextricabiles creat, vel nocentes promeritæ pœnæ subducit. Utrumque enim fieri potest, ac plerumque solet, pro eo, ac medico visum fuit de præsenti, quod incidit, negotio ferendum esse judicium. Et quamquam raro unius, qui primum rogatus sententiam dixit, arbitrio tota causa permittitur, sed antequam gravior sententia feratur, ad integra collegia cognitio illa defertur: satis tamen multum molestiæ, tædiorum & impensarum interea creari illis potest, qui suspicionibus inique gravati fuerunt: a quibus deinde tanto certius indignatio & lites infinitæ originem ducent certissimam. Atque hoc ita accidere solere satis multis compertum est exemplis: plenique eorum sunt omnes libri celeberrimorum virorum, qui de medicina forensi commentarios ediderunt, aut collegiorum medicorum responsa cum publico communicaverunt. Aliqui enim venenum datum accusaverunt, ubi compertum fuit nullum exterius accesisse, sed causas in corpore præsentes cum rerum, quæ vocari solent non naturales, singulari concursu damnum & exitium attulisse: alii nomine suo indicarunt venenum, quod tale esse neutiquam probare potuerunt, sed patrum narrationibus crediderunt. Quæ quantum ita

ita sint, facile sane cognoscitur, quam multum inter sit in hoc negotio haud obiter versari, sed omnes ingenii judiciique vires intendere, ut veram, certam, matureque exploratam proferamus sententiam. Sentio autem quantum onus, majus certe quam pro viribus, humeris meis impolu erim, qui de argumento tam difficiili dissenserere aggressus sum. Enim vero non vacarem culpa arrogantiæ, si vel ipse metu sponte hoc argumentum elegisse, vel electum atque pro viribus elaboratum ita proponerem tanquam erudiendis aliis inserviturum. Nam quum Illustr. Dn. PRÆSIDIS consilium de eligendo dissertationis argumento expetivissim, isque mihi hoc commendaret; nec volui nec debui subtersugere auctoritatem Patroni ac Promotoris omni pietate colendi: præser-tim quum bene perpicarem, quantum mihi emolumen tum allatura esset industria omnibus huc quidem pertinentibus relegendis considerandisque impendenda: & illud insuper cogitarem, sperari ab æquo quovis lectore recta cum ratione posse, ut veniam tribuat scriptioni, quæ non alio quam tentaminis ac speciminis nomine in publicum emittitur. Idque ut mihi eveniat, ea, qua decet, modestia rogo atque contendō.

A 2 admodum tunc in §. I.

§. I.

VEnenum usque adeo s̄epe multumque in ore hominum frequentatur, inque doctorum libris legitur, ut vix videatur ulla declaratione indigere. Veteres, ut ex ARISTOTELE problem. I. 47. discimus, assumita omnia in tres ordines redegerunt, quorum primo continentur, quæ vinci a ventriculi actione & menstruis possunt, ceduntque in *alimentum*: altero, quæ vel plane non vincuntur, vel aliqua tantum parte fui, qua corpus alterant, id est præsentem ejus statum mutant, siveque fiunt *medicamentum*, si gnari artificis manu tempestive & debita lege exhibentur: tertio, quæ cum eo, quod vinci nequeunt, possident vires corruptivas, atque parva etiam quantitate ingesta necem cito inferunt; *θαντόρφορα, venena, deleteria* appellantur. Atque hæc veneni notio plurimis satis recte convenit, præsertim illis, quæ inter nos frequentius occurrunt, atque medico occasionem præbent, judici sententiam suam requirenti, ex artis medicæ principiis respondendi. Quodsi vero totam rem accuratius intuemur, ad omnem venenorū speciem denotandam nondum satis adæquata est, quum nostra ætate ars pernicioſa veneficiorum magis exculta sit, ut non solum talia exhibere norint, quæ lentam mortem inferunt, verum etiam, quæ ore non recipiuntur, sed ipso halitu excepta, aut per nudum contactum, perniciem inferre valent, ut nullo fere pacto sensibus exhiberi possint, adeoque nec fieri queat, ut, quod vocant, & in foro desideratur, corpus delicti, sectionis imperatae subsidio eruatur & exhibeat.

§. II.



§. II.

Accusationis vocabulum ita posuimus, ut nativo & etyinologico suo sensu valet, tanquam causæ vel culpæ collatio. Ut si judex, vel quicunque alias, cuius scire interest, a medico quærat, cuius rei culpa vel causa factum existimet, ut hic vel ille tam male habuerit, aut mortem oppetierit, isque deprehensam a se causam indicet, accusasse illud, quod causam denotavit, vulgari sermone recte dicitur, Parumi itaque solliciti sumus de acceptance forensi vocabulorum *accusator*, *accusatio*: quippe quæ a juris peritis petenda esse constat. Quum vero haud raro accidat, ut minus circumspcti & in iudicio ferendo cauti hic aberrent, sibique & aliis molestiam creent, datum fuisse venenum & ab hoc orta mala symptomata & mortem consequutam, pronuncian-do, ubi nullum tamen datum fuit: aut in denominati-one illius, quod vere datum fuit, subinde aberretur: hinc cautam & circumspectam esse debere hanc accusationem facile intelligitur.

§. III.

Quando perecurrimus historiarum medicarum monu-
menta, vitamque etiam communem consulimus, ve-
nenati homines occurunt, qui insciæ venenum assument-
runt, quod nunquam degustaturi fuissent, si id cognovis-
sent: alii, qui malesuada desperatione compulsi, ut vitæ
finem invenirent, scientes volentesque noxiā delete-
riamque rem ebiberunt, vel quocunque alio modo in
viscera sua dimiserunt: rufusque alii, qui vel ob ætatis
imbecillitatem, vel ebrietatem, vel denique delirium
animi vires pervertens sibi ipsis attendere non valent,
adeoque prioribus in eo quidem similes sunt, quod

A 3 igna-

ignari admiserunt venenum, dissimiles tamen, quod certum quid de vita suæ rationibus respondere medico omnes circumstantias requirenti nequeunt. Placuit ita qualiscunque ordinis causa dividere subjecta, quo magis distincte de tota re differere liceat.

§. IV.

Si itaque obveniat homo, qui, quum ante paucas horas optime valuisse, post assumptum cibum potumque pessime habere cœpit, animo angi, cardialgia vehementissima vexari, vomitire, mox anxie vomere, circa petitus constringi, sudore frigido perfundi, ardore fauum torqueri, siti immodica & tormentosis dejectionibus excruciar: medico tunc ad opem ferendam vocato suspicio non oriri non potest, vehementem aliquam subesse debere causam, quæ optimæ aut saltem inculpatæ valitudinis prægressæ statum simul ac semel adeo labefactavit. Quærere itaque ante omnia debet, quali victu potuque usus sit, & solusne cibum assumerit, an plures in eadem mensa convivas habuerit. Nam si plures eodem vietū usi eadem pati deprehenduntur, vix dubium superest, fuisse aliquid vel cibis vel potui communibus immixtum, quod tam vehementes lesiones pluribus simul ac semel intulit. Hoc intellecto examinentur singula, quæ a cibis potibusque appositis supersunt, inspicianturque vasa, quibus vel apparata vel indita fuerunt. Vix poterit fieri, quin solers medicus hac via tandem deprehendat malorum originem, & ad medendi justas vias deducatur. Atque tali ratione Illustris Dom: PRÆSES usus est quum ante multos annos in hac Academia factum esset, ut nobilissimi convictores complures incuria quadam coquæ in magnum periculum adducerentur

tur non exigua arsenici in pollinem comminuti quantitate juscule immissa pro faccharo: de quo videatur medicin: consultat: tom. I. p. 35. & 251.

§. V.

Leguntur complura hujus generis exempla integrarum familiarum a pastu simul pessime multatarum, ex quibus etiam unus alterque vitæ jacturam fecit. Sic D. D. MAVCHARTVS in *Ephemerid. A. N. C. Cent. I. obs. 13.* refert de generosissima persona mox a pastu sumto vomitibus enormibus correpta, idem patientibus coqua, netrice & tribus ejusdem familiæ ancillis. Causa inventa fuit easleus ex lacte vaccino in vase cupreo paratus, de quo pariter omnes comedenter. Plura exempla in scholio isti observationi subjuncto adducuntur, quibus admonemur de insigni virulentia ærugininis, quæ inter coquendum cibis admiscetur, aut a vasis cupreis in eosdem ibi asservatos transit. Sic memorantur ibi tres moniales pessime multatæ ab esu pastæ ex farina, butyro & caseo paratæ in vase æneo, ibidemque diutius asservatæ. Harum una mortem ex hoc edulio oppetiit. Integer cœtus puellarum orphanarum in urbe Italæ Regio horrendis vomitibus, torminosis ventris excretionibus, dirisque aliis symptomatis oppressarum ibidem p. 62. adducitur, ad quarum curationem accitus D. D. VALLISNERIVS, in prægressum cibum inquirens invenit pastam fuisse in vase æneo æruginoso a negligente coqua paratam.

§. VI.

Atque talibus signis in suspicionem veneni acris, erodentis & caustici facile adducimur, sequente vero indagatione de reali ejus assumptione convinci possumus.

mus. Sed non solum talia sunt, quæ ab incautis devorantur, venena, verum etiam alia dantur non minus quidem perniciosa, sed quæ se aliis signis patefaciunt. Talem casum invenimus in D. D. WEPFERI doctissimo tractatu de cicutæ aquatica noxis p. 231. Scilicet integer conventus Benedictinorum Rhinoviensium anno cl. loc. xxxxix. una cœna in magnum periculum adducebatur, quum hyoscyami radices cichorei radicibus permixtae in acetarium apparentur: unde caput vertigine corripiebatur, linguæ ac labra torrebantur, asperabantur fauces, nonnullorum ilia torquebantur, omnesque artus male habebant: gesticulabantur alii & delira loquebantur, visus acies corrumpebatur, ut qui legere vellent, litteras ambulare putarent, & confusim discurrere, duplicataque vel triplicata objecta cernerent. Tam commune inque multos simul diffusum malum fecit, ut in culinam inquireretur: factaque indagine cognitum est, puerum hortulani noxias radices edulibus per imprudentiam mixtas coquo tradidisse, indeque hanc iliadem malorum ortum traxisse. Sine dubio recte judicavit ad opem ferendam vocatus celeberrimus JO. SCRETA, gravissima sequi potuisse, nisi vis hyoscyami noxia sale & aceto ac oleo fuisset infracta: forte & ipsum cichoreum ad minuendas noxas fecit: quippe quod DIOSCORIDES hyoscyami corrigens esse perhibet.

§. VII.

Pertinet huc quoque egregia observatio D. D. NEBELII, quæ *Ephemerid. A. N. C. cent. IX. obs. 60.* legitur, sicutque conjuges, qui in cœna coturnices assatas commederant, hora vero exacta in sinistro corporis latere spasmodicam tensionem senserunt valde molestam

in

in cervice & dorso, quæ ad os claviculae, moxque ad maxillam sinistram ascendit, cum delirio in marito, & palpitatione cordis in fœmina. Medicus advo-
catus auditis circumstantiis & explorato quod tres liberi
in eadem mensa pasti, sed coturnicibus omissis, nihil mali
sentirent, culpam merito rejecit in has aves, diu jam infama-
tas a GALENO aliisque medicis, quod musculorum dis-
tentiones inducere soleant: non quidem quod elleboro
pascantur, quem in nostris terris non inveniunt, sed quod
lolio temulento vescuntur, ut C. BAVHINVS & RVD.
JO. CAMERARIVS observaverunt. Quod de cotur-
nicibus constat, de alaudis forte etiam non injustissime
metuetur, illo tempore captis, quo messis nondum per-
acta est, multæque pluviae ceciderunt per æstatem, quæ
lolii illius proventum valde fovent & adaugent. Certe
ante non adeo multos annos per Franconiam multæ
querelæ auditæ sunt, quod alaudæ comestæ multis no-
xiam intulerint: quamquam id in nostro & reliquo Mis-
nico tractu unquam compertum esse nullibi reperiam.

§. VIII.

Quum plura hujus generis exempla afferre liceret;
parcimus tamen operæ & temporis, atque illico nos con-
vertimus ad ostendendum quem fructum ad caute circumspetique agendum capere hinc oporteat. Primo qui-
dem cognoscere licet fieri posse, ut venenum accipia-
tur, ubi nemo dedit illo consilio, ut veneni noxas ex-
serat, errore scilicet, non malitia aut dolo. Patet id
exemplo arsenici pro saccharo ad ptisanam avenaceam
edulcorandam adhibiti, ut & radicum hyoscyami & ci-
chorei infausto errore conjundarum. Sed huic non
impiorabimur, quum ad medicum non pertineat quæ-
rere;

B

rere, qua intentione venenum datum sit, sed datum removere, si tempestive venerit, viresque infringere: aut si re jam confecta vocatus sit, præsentiam ejus invenire & comprobare. Deinde & illud discimus, edulium aut potum in se saluberrimum veleni indolem veram consequi posse, si minus decenti vase vel præparetur vel asservetur: quo in genere multum invigilandum est ex argento factæ suppellestili, quippe semper cupri societatem habenti, magis autem cupreæ & orichalceæ, tum vero etiam stanæ, præsertim elegantiori cum regulo antimonii & orichalco, quin arsenico ipso, paratæ. Tum quoque apparet, quod multis simul pranziis aut cœnatis accidere potuit, saepiusque accedit, idem etiam singularibus evenire posse, si quis solus talem cibum vel potum accepérit, simili noxa infectum. Exemplum chirurgi a caseo in cupreo vase facto & in eodem mense imposito mortis periculum incidentis legitur in *Ephemerid. A. N. C. Cent. I. obs. 13.* ibideinque de puella quadrienni ex simili noxa mortua legitur. Confer *Illustr. Dom. PRÆSIDIS medic. consult. tom. VI. dec. I. cas. IX.* Tandem & hoc eluet diversorum venenorum diversas esse operationes, quibus consideratis, tanquam signis, medicus dirigitur ad facilius detegendum illud, quod præsentes in ægrotante molestias inducit: de quo deinceps pluribus agendum est.

§. IX.

Juvabit autem scrutinium hoc ipsemet ægrotus, si ad mentis adhuc compotem vocati accessimus, recensendo, quæ ante paucas horas egerit, ederit, assumserit. Idem si ab æneo vase in apparatus vel asservatos cibos metallicum æruginosum quid migraverit, ex sapore nauseoso faucibus immorante, & per singulos vomitus

mitus renovato, conjecturam nostram aut confirmabit, aut aliorum excurrentem revocabit. Quodsi vero aut infans sit, aut etiam deliret, & extrema patiatur, longo quidem scrutinio tempus non suppetit, sed ante omnia prospiciendum est ægroto, & ex signis præsentibus colligendum, quo maxime remedio opus sit, ne vita jastram faciat. Quodsi itaque signa adsit caustici veneni, ut æruginis, arsenici, cobalti & similiū, nihil magis conductet involventibus oleosis, pinguibus, mucilaginosis: ut oleo quovis culinæ usib[us] apto, lacte, cremore ejus, butyro cum juscule avenaceo, jusculis carnium gelatinosis & pinguibus, nihil aut parum salitis, quibus evomendi conatus adjuvabuntur. Quibus jam cum euphoria patientis conquiescere incipientibus, locus est theriacæ cum aceto aut succo citri, mixturisque diapnoicis & alexipharmacis.

§. X.

Si vero nullum adsit caustici veneni signum, sed omnia potius indicia prodant venenum in fluidum nervorum expansiva sua indole agens, solidorumque, per vitiatum hoc, motus pervertens sensusque corrumpens: non male quidem his etiam opponitur lac tepidum cum oleo & pinguibus, ut evomatur noxium, quod in primis forte viis adhuc obhaerescit: sed & simul subjunctione sunt, quæ proprius ad rem faciunt. Si igitur multum tempus a pastu jam excessit, nihilque vomitu eliminatur, quantocvus ad acetum veniendum est vel simplex vel calendulatum aut bezoardicum, cuius ope nimia humorum expansio compescetur, & per blandam diapnœen dissipabitur id quod peregrinum ac noxiū eos subiit. Si sopor urgeat, injiciendus est clyster initio

B 2

acri-

acrior, ut per alvum deorsum evocentur noxia in intestinis commorantia, deinde mitiores, oleosi, demulcentes. Si inter hæc de assunti veneni specie accuratius aliquid rescire licuerit, adhibenda quoque sunt, quæ specificè adversus singula valere constat: de quibus hic prolixius agere non licet mihi, qui non tam curationem venenatorum tradere cupio, quam edifferere, quæ cautio in veneni dijudicatione adhibenda sit.

§. XI.

In hominibus, qui se potibus inebriantibus impleverunt, satis sæpe accidit, ut vehementibus cardialgiis corripiantur, immanibusque vomitionibus torqueantur: aliqui etiam diris convulsionibus tententur. Et cholericodæ quidem ejusmodi evacuationes plerumque concursui variorum assumtorum pinguium, salinorum, dulcium, acidorum, aromaticorum & quorum non aliorum, quæ in unam cœnam acervari solent, deberi videntur; præsertim si vel vinum vel cerevisiæ variæ commixtim bibuntur, vel mangonisata vina, aut admodum generosa, nervos, ex Hippocratis effato, ferientia, affatim fuere hausta. Retulit mihi vir fide dignus, quod duo juvenes, inter complures alias uniprandio admoti, ubi die cetera æstivo & calido multum vini ebiberant, convulsionibus gravibus correpti fuerint; quorum unus corpore cetera valetudinario præditus, minorem admirationem faciebat, alter vero floridissimus & vegetissimus, quum mox etiam corripetur, panicum terrorem reliquis injiciebat, quorum tamen nemo quicquam finistri sensit. Erat autem prior vini potui a teneris annis adluetus, alter a pueritia quidem cerevisiæ addictus, sed sæpe antea compotationibus

bus interfuerat. Vinum accusatum fuisset, nisi complures alii sine ulla noxa a convivio isto discessissent.

§. XII.

Vehementius tamen laedi tales ad ebrietatem poti cibisque repleti possunt & solent, si iracundia graviori commoventur, & post illam cibos potusque ingurgitare pergunt, aut motu, ut saltatione, concalentes frigidam corpori infundunt, aut magno se frigori postea diutius permittunt: unde aliquos vitæ præfens periculum incurrisse constat. Quin sola corporis ad magnam extuationem incalescentia, si frigidus potus intemperantiū assūmatur, veri venenī effectus in nobis patrare potest: in cuius asserti comprobationem multa adduci exempla possent, nisi obvia ubique esse scirem. Unicum tamen non possum, quin adferam, quia beneficij suspicionem movit, & forte, nisi amici medici suppressissent, & causam veriorem ostendissent, magnis contentionibus occasionem præbuisset. Persona honorata amicos visum peregre abierat, pridieque ejus diei, quo summo mane proficiscendum erat, convivio excipiebatur, ubi in feram noctem usque hilariter saltabatur, Quum tempus discedere juberet, a motu calidissima pincernam adibat, ebibebatque satis magnum vitrum aqua frigida repletum. Post non longum tempus vomendi conatus emergebant, cum vehementi cardialgia: sed iter tamen per loca confragosa suscipiebatur. In singulas horas graviora omnia reddebantur, &, ne multa cumulem, post paucos dies febrem inflammatoriam mors insequebatur, prægressis convulsionibus. Quum ad viscera interiora lustranda cultro aditus pararetur, totus intestinorum tractus quasi cyaneus conspiciebatur.

B 3

§. Xlll.

§. XIII.

Vehementius fese exserunt noxæ veneno assumto analogæ, funestumque eventum accelerant, si homini a magna exæstuatione potu frigidæ infuso vomituri ent, aut post magnam iracundiaæ excandescientiam id patienti, medicina vomitoria aut purgans exhibetur. Facile eo ruunt homines & quasi sponte sua, persuasi bilem ad ventriculum regurgitasse, ibi plures molestias creaturam, nisi proxima evacuetur via, quam ipsam naturam indicare judicant, cuius ductum se maxime sequi credunt, quum evacuantem medicinam exhibent. Quam vero perniciosus sit hic error singulare commentatione ostendit Illustr. Dom. PRÆSES *de medicina emetica post iram veneno inscripta*, clareque demonstravit iram vehementiori partium nervoso-musculofarum constrictione totum sistema nervosum commovere, & cordis vasorumque systolen, partiumque fibrosarum in universo corpore tonum intendere: potissimum vim autem exferere in ventriculum & intestina, ceu partes membranosaes & valde nervosas. Quumque in valde calefactis & æstuantibus potus frigidus large haustus easdem partes proxime & immediate contingat, & pro natura frigidorum tum fluida gelatinosa coagulet, tum solida constringat: effectus quadantenus idem ab utroque nascitur, scilicet circuli humorum vitalium in membranosis illis partibus impedimentum in stasin & corruptiōnem inflammatoriam præcipiti gradu tendens. Ejus primum indicium præbent vomitorii illi motus: quos qui medicina quacunque spasmos inducente augent, oleum camino addunt, funestumque eventum accelerant.

§. XIV.

§. XIV.

Facillimum jam erit ad judicandum, quanto potenter effectus consequuntur sint, si ebrietas, prægressis variis cibis, conjungatur cum graviori excandescientia, motuque defatigante intersaltandum, aut prorsus luctandum & digladiandum, deindeque frigidus potus super-ingestus sit, sive laesus tam multis delictis diæteticis frido loco male munitus decumbat. Quid enim mirum, si gravissime mulctetur talis homo, qui in omnes leges sanitatis conservandæ tanta insanæ impingit, easque migrat. Quamquam & hic subinde petulantium sodalium ludibria accedunt, qui hominibus sui non amplius compotibus infundunt pulverem nicotianæ aut ellebori, ea intentione, ut citius evomant: quod non potest non male saepius cedere. Quin ipsi caupones aliquando malas artes adhibere solent, quibus cerevisiæ acescentis noxas emendent: ut factum meminimus ab aliquo, qui cerevisiæ albæ immiscebat lixivium saponiorum: quod cum largius factum esset, satis multi, qui in eadem caupona illo die græcati fuerant, morbis acutis inflammatoriis corripiebantur, quorum non pauci celeriter extinguebantur, ut de eventu tam infastio, sed mendacibus circumstantiis interpolato, multæ fabulæ per integrum Germaniam, & forte ulterius spargerentur.

§. XV.

Atque hæc haec tenus differimus, ut cognoscatur, quam multa sint, quæ speciem venenorum habent, effetti usque veris venenis malitiose datis analogos edunt: quorum memorem esse medicum decet, ut mature deliberatum certoque exploratum respondere magistratui possit.

possit. Quamquam enim in effectu vitam in periculum adducendi, quin abrumpendi, cum quovis veneno certare possint: de talibus tamen venenis, quibus nō men non nisi æquivoce competit, in foro non solet quæri. Medico autem hæc omnia explorata beneque considerata esse debent, ne judicium ferat, cui tuendo impar sit, si alius, re melius expensa, errorem ipsius arguat: deinde ne ad curationem vocatus, dum indicationibus veri veneni, univoce talis, satisfacere per evacuantia cupit studetque, salutem hominis pessundet. Nam in plerisque veris venenis ore assumtis prima curandi spes in eo residet, si involvantur atque celerrime evanescunt: ubi vero iracundiae excandescens, aut potus frigidus post incalescentiam mali originem induxit, hanc spem exsulare debere jam supra ostendimus.

§. XVI.

Haec tenus loquuti sumus de talibus casibus, ubi venenum absque malo proposito, per incuriam aut errorum aliquem, datum sumtumve fuit, medicoque in omnia inquirenti verum fateri nemo facile dubitat: aut ubi sine veneni veri aut univoce talis præsentia, ex multorum in sex rebus nonnaturalibus errorum concursu, effectus verorum venenorū effectibus similes resultant. Superest nunc ut circumspiciamus de illis casibus, ubi tam illi, qui malitiose dederunt, factum suum dissimulant, quam hi, qui ex vita tædio sumserunt, strenue negant, medicoque requirenti omnia potius alia, quam verum profitentur. Satis rari sunt illi castus, quando medicus ad hominem vocatur, qui vivendi tædio noxiā medicinam accepit: nam id fere provide curat, ut remotis arbitris finem suum consequatur. Factum ta-

men

men legimus, ut aliquos pœnitentia tentatæ avtochiræ ad opem quærendam compelleret: alios dirorum symptomatum syndrome proderet domesticis, ut rem denunciarent. Priori quidem casu non magno labore rescimus, quodnam venenum sumtum sit: nam periculi effugiendi desiderium confessionem ingenuam extorquet. Sed difficilis fit negotium in homine pertinaciter mori cupiente. Sæpe tamen produnt arcanum circumstantiæ quædam. Sic memini hominis, qui fuitis conscientiæ agitatus aquam fortè, arbitris remotis, biberat, vitrumque per fenestram in hortum proximum projecerat. Viderat hoc ejus amicus in horto deambulans, ab altero non visus, quumque vitrum considerasset, odoremque cognovisset; mox vero illum vomere, & valde tussire animadverteret, ad cubiculum ejus properavit, aditumque, quo licuit modo, patefecit. Vere jam agonizantem inveniebat, quum vero non ignorans medicinæ esset, interim, dum medicus accederet, multa infusa aqua vim concentrati acidi infregit, sicque salutis auctor exstitit.

§. XVII.

Rari sunt, fateor, tales casus: sed medicum omnia circumspicere tunc oportet, si quod forte indicium nancisci possit. Os itaque ægroti inspiciat, consideret vomitu projectam materiam; sed ante omnia symptomata præsentia recte astimet. In illustri quadam schola nobilis adolescentulus, nescio quid metuens, exitiale sibi consilium agitabat: cumque pingendo operam daret, bonam quantitatem gummi guttae, aqua dissolutam, hauserat. Vomebat flava, eoque prodebat, quid sumisset; ejusque moderator, excussa suppellectile pitoria,

C

ctoria,

Etoria, quum non inveniret ante paucos dies entum pigmentum, medico facile indicabat certum, unde periculo subtrahebatur, medicina convenienti tempestive suggerita. Enim vero non frequentissime licet tam brevi labore verum reperire, aut subvenire in tempore; fereque ex symptomatum consideratione, aut in demortuorum corporibus per sectionem eruendum est. Atque eandem esse conditionem eorum, quibus a flagitiosis hominibus venenum scelerata manu porrectum est, facile cognoscitur. Quare opus est certis & diagnosticis venenorum, si non omnium, potissimum tamen & frequentissimorum, signis, de quibus deinceps ordine dicam, quam bene potero.

§. XVIII.

Si itaque homo, qui ante paucas horas perfectissime valuit, aut ita tamen, ut de nulla molestia conquereretur, nec iracundia percitus fuit, aut post magnam incandescentiam frigido potu sese implevit, post sumptum cibum aut potum gravia patitur, ea scilicet, que §. IV. attigimus, querendum est de assuntis, an forte pultes, pastæ, pistorum aut dulciarium opus fuerint, aut chocoladam biberit, & num quid in ipsis offenderit, quod insolitum saporem haberet. Si assumta talia fuerint, haud levis erit suspicio arsenici albi simul admixti, quippe quod gustum facile fallit, & inter talia absconditur. Juvabit itaque curationem ita instituere, ut noxis ejus sit opposita. Arsenico suppar est mater ejus cadmia fossilis sive cobaltum; eodemque pertinent arsenicum citrinum & rubrum, quippe ex albo, additione sulphuris, facta: quamquam omnino aliquantum debiliora albo arsenico, sufficientibus tamen ad enecandum hominem viri-

viribus instructa: ceterum vero insipida, ut facile inter assumta spissiora possint abscondi & ingeri. In iis, qui demortui fecantur, ventriculus sese offert inflammatus, quibūsdam locis stigmatibus nigricantibus, sphacelatis distinctus. Si pulvis inhārens tunicæ ventriculi & intestinorum colligatur, eluatur, siccetur, laminæque ferræ prunis impositæ injiciatur, fœtorem spargit alliaceum, & admotum metallum frigidum adspergine alba obducit, aut ad citrinum vel rubrum inclinante, si citrinum vel rubrum arsenicum fuerit.

§. XIX.

Post arsenicum in classe venenorū causticorum & erodentium sunt metallica quædam per salia in vitriolicam naturam conversa, ut mercurius sublimatus, ejusque in aqua solutio, quam vocant aquam Polonicam, solutiones metallorum in spiritibus acidis, ipsum vitriolum, præsertim lunæ & veneris, ærugo, & id genus alia; quæ tamen vix quisquam incaute assumferit, quoniam le horribili sapore facile produnt: unde nec fieri potest, quin venenatus per talia homo saporem æruginosum metallicum in ore & faucibus diu retineat, idemque toties renovetur, quoties repetito vomitu aliquid emolitur. Hinc medico adhibito non obscurum esse potest, quorsum conjecturis suis ferri, & in quæ porro indagare debeat. Jungi vero plerumque solet vehementibus & ferocibus evomendi conatibus urinæ pertimax suppressio, quæ etiam a solis spiritibus acidis concentratis consequitur: teste THEOD. ZWINGERO *in theatr. prax. med.* Ad opem ferendam cito accedit oportet medicus, beneque instructus, ne mors miserabilis, cum diris convulsionibus, consilium &

juvandi studium antevertat. Diluentia cum antacidis præcipuum spem ostendunt: quorum illa concentrati acidi spiritus vires debilitant, hæc infringunt, & armis suis exuunt. Legi scriptum publico Illustriss. Comitum Hohenlöensium testimonio munitum, quod homini mortis suppicio addicto gratia facta sit hac lege, ut mercurii sublimati drachmam dimidiam, ni fallor, aut integrum assumeret, deindeque terræ sigillatae Silesiacæ certam quantitatem subjungeret, quo constaret de remedii, tunc tantopere deprædicati, efficacia. Satis graviter afflictus homo tamen eluctabatur hoc solo remedio, & modica vini veteris quantitate, quæ pro terræ vehiculo indulta erat.

§. XX.

Si mortuorum a talibus venenis corpora inciduntur, gulam & ventriculi interiora erosa, inflamidata & corrupta inveniri annotatum est: ut & plerumque ante mortem sanguinolenta evomuntur & per alvum secedunt, que postrema excretio etiam post mortem aliquamdiu durare visa est. An vero fieri ulla arte queat, ut hujusmodi venena, utpote solubilia, in defunctorum ventriculo aut intestinis detegantur, & sensibus percipienda sistantur, valde dubito; nisi forte excessiva quantitate ingesta mortem citius induixerint, quam per intestina diffundi, ac muco & lymphæ gastricæ intestinalique latici copiosius affluentí permitseri possent, & cum illis, majori quidem sui parte, per superiora & inferiora expelli. Forte aliquid effici posset, si ventriculi & intestinalorum contenta elota per præcipitantia explorarentur, secundum eas leges, quas chymia suppediat. Sed quoniam nondum succurrerit, qui illam *ang. Genov* vel

vel requirat, vel a se felici experimento comprobatam doceat: nolo ulterius huic negotio immorari. Ad celerem perniciem rodendo, inflammando, necrofinque inducendo, etiam ducunt quæcumque salia concentratissima in ventriculum delata, & spiritus omnes acidii fortissimi, salis communis, nitri, vitrioli: quin & alcalina fortissima, præsertim cum adjectione calcis vivæ facta: quibus certissimam medelam affert, quicunque satis diluit, & deinde eorum naturæ contraria subjungit. Hac quidem ratione progressus lassionis impeditur: sed illa, quam inter deglutiendum gulæ & faucibus intulerunt, plerumque pertinaciter afflit, & mortem inferre etiam valet: qualem casum resert supra laudatus ZWINGERVS part. II. pag. 251. Et sane vix fieri aliter posse experimunt illi, qui inter labores chymicos tales concentratissimos spiritus manibus vel digitis suis affundunt, ubi cuticula, saeppe satis notabilis cutis portio, abscedit, tanquam fuisset cauterium adhibitum. Loquor autem de concentratissimis & fumantibus spiritibus, quibus multis gradibus debiliores sunt, qui in officinis ordinarie prostant. Facile itaque cognoscitur noxios effetti in his, qui tali modo mortui sunt, in summis fauibus & œsophago potissimum esse querendos & reperiundos.

§. XXI.

Venenis septicis annumerantur antimoniata, male præparata, &c, ubi vel non decebat, vel modo ac dosi indecentibus, exhibita. Quum tot querelæ de hoc toties damnato & magno molimine proscripto tam simplici ac crudo, quam præparatis legantur: mirum tamen videri debet, quod tam raræ sint historiæ sectionum in

cadaveribus per talia neci traditis institutarum. Illud hodie puto indubium esse, quod antimonium crudum venenis injuste annumeretur. Sed flores ejus, itemque crocus metallorum dictus, vitrum, mercurius sic dictus vitæ, aliaque preparata omnino venenorū effectus edere valent, unde vel plane hodie omittuntur talia suis nominibus iadicata, vel non nisi determinatis casibus, addita summa cautela, reservantur. Equidem prorsus persuasum habeo longe plurima funestorum exemplorum, quæ jactitantur, non tam ad antimoniatam medicinam per se pertinere, sed propterea male cessisse, quoniam exhibita fuerunt, ubi oleum camino affundi non decebat. Satis de eo diximus superius. Reliquorum tragicorum eventuum causa forte frequentissima fuit illa epidemia persuasio, quod antimonium crudum tam horrendum sit venenum: unde superioribus annis, pro sua quisque phantasia, torrendo calcinandoque, veneno suo castrare illud conatus, quo diligentius id fecit, eo reddit nocentius. Id ante sat multos annos in hac ipsa urbe factum fuisse discere licet ex KVNCKELII laboratorio, Hamburgi typis exscripto. Si quis læsus ab antimonato fuerit, feroce vomitus experietur, fereque cetera omnia, quæ affligunt arsenico sumto. In demortuis ventriculum inflammatum & gangræna corruptum inveniri par est. Quod vero semper fieri possit, ut aliquid, quod exhiberi & ab antimonio esse probari queat, sectionis ope eruatur, valde equidem dubito: quum non solum valde exigua portio assumatur, verum aliqua etiam solubilia aut fluida sint, in quibus antimonium ostendere optimus chymicus non valuerit, et si integras uncias isti examini impenderit.

§. XXII.

§. XXII.

Venenis septicis & solutionem continuo inferentibus accensentur ex mineralium familia auripigmentum & adamas; utrumque tamen sine solida & vera causa eo referri existimo. Et quod ad auripigmentum quidem pertinet, loquor tantum de nativo, haud vero de factitio, quod ex arsenico albo decima sulphuris parte colliquata paratur in Misnia: hoc enim venenum esse amplissime concedo. Sed alterum illud nativum non minori injurya, quam antimonium crudum, venenis accensetur, diuque a JO. PLATEARIO internis usibus adhibitum fuit; qui idem quoque auctor antimonio crudo frequenter usus fuisse deprehenditur. Sed de auripigmento remitto lectorem ad Illustr. Dom. PRAESIDIS medic. consultat. vol. I. p. 249. ut & ad Ejusdem dissertationem de erroribus circa venena vulgaribus. Adamantem inter venena Arabes primum retulerunt, ut Serapion & Averrhoes: sed in multis auctioribus, qui de venenis amplissime egerunt, quum ceterum Arabes sequerentur, omisso tamen adamantem mireris. Primum fere ex recentioribus puto esse SANTEM ARDOYNVM, qui ante trecentos, & qui excurrunt, annos de venenis amplum opus scripsit, cuius libr. II. cap. 23. adamas inter venena refertur, sed admodum timide. Nec invenio illam accusationem magis fuisse frequentatam, quam post mortem Theophrasti Paracelsi, cui, tanto remediorum ad vitam longam pollicitatori, quum mors præmatura ab aliis probro objecta esset, discipuli culpam in hostes ejus conjiciebant, qui ipsum enecassent exhibito adamantis pulvere, veneno omnium, quæ dari possunt, invictissimo. Ab eo tempore a maximis viris, quos inter

inter FERNELIVM unum ostendisse sufficit, venenum declaratus est, quamquam ANSHELMVS BOETIVS in sua *gemmarum & lapidum historia innocentiam ejus, quin vires medicas laudatissimas, ostendit.*

§. XXIII.

Qui venenum perhibent, partim naturam ejus accusant, quam SERAPION declaravit frigidam & siccam in quarto gradu, partim proprietatem, quod frangat omnia præter plumbum & hircinum sanguinem: apparere hoc, credunt, quod vitrum scindat, & quod polline ejus omnes gemmæ atterantur: adeoque fieri non posse, quin ventriculus & intestina etiam ab eo discindantur. Quantum subinde trepidatum fuerit, quum aliqui per errorem deglutiissent adamantem, notum facile erit: sed in India non metuitur hæc noxa ab illis, qui fiscum regium defrandatur multos fæpe adamantes deglutire solent, ut itinerum scriptores referunt. Quum multa exempla metum illum refutassent, accusari tantum pollen cœpit. Sed præterquam quod antea laudatus BOETIVS innoxium illum pulvrem comprobavit: absonum sane videtur concludere ab eo, quod intervenienti forti attritu & celerrimo peragitur a duris in dura corpora agentibus, & ab iisdem patientibus, in mollia, sequacia & nulli tali motui obnoxia. Scire per quam velim quanto durior utique sit adamas rubino aut smaragdo vero orientali; quarum gemmarum fragmenta, in pollinem redacta, etiam recens natis exhibentur, si non singulari fructu, tamen plerumque innoxie, & sub auctoritate publica, quum in libris pharmacopœorum normalibus præscripti sint. Memini casus, quem ab Excell. D.D. SCHVLZIO benevolo

vole mecum communicatum, impetrata ejus venia, exhibeo. Is familiariter quondam usus est celeberrimo gemmarum cœlatore Norimbergensi, CHRISTOPHORO DORSCHAEAO, ante paucos annos mortuo, qui sæpius ipsi & amicis retulit, quid domi suæ cum adamantis pulvere gestum sit. Scilicet imbutus persuasione de summa venenositate hujus pulveris, omnibus domesticis, ut sibi ab eo caverent, severe injungebat. Aliquo die observabat magnam sibi quantitatem recenter parati deesse, inque furti auctorem diligenter inquirebat. Deprehendebatur ancillam domesticam, mortis consciscendæ causa, illum assumisse, quæ patefacto facinore aufugerat. Sed spem ancillæ, dominique metum, eventus æque destituit, quum ultra viginti annos salva ac incolumis illa maneret, & neque tunc quicquam sinistri experta esset, neque postea labem valetudinis sentiret: forte etiam nunc superstes.

§. XXIV.

Nolit itaque cautus & circumspectus medicus in veneno indagando atque accusando ad talia impingere & offendere: diu potius omnia deliberet, antequam experimenta, extra corpus instituta, ad corpus humanum transferat, quum facile vitiosa μεταβάσεις eis ἀλλο γένεσι possit, aut fallacia causæ non causæ committi. Ac nescio sane an ab hac accusatione absolví omnino possit illud alicubi inventum & descriptum *venenum mechanicum*, quod scindendo & exulcerando lentam mortem inducere prohibetur. Scilicet bractæ tenuissimæ orichalceæ, in tenuissima fragmenta forfice dissecta, & animali exhibita, hac ratione mortem inferre scribuntur: quo-

D

niam

niam acutis suis angulis scislura & vulneratura sint intestina, & hinc orta exulceratio mortem debeat inferre. An vero a placidissimo motu peristaltico, contenta intestinalia super plano lubrico promovente, illa infixio, istaque impulsio metuenda sit, gñaris harum rerum permitto judicandum: a me tantam credulitatem impetrare non possum. Neque tamen propterea innoxium tale assumptum declaravero: noxas autem non alias inde metuo, quam ab ærugine, in quam fragmenta illa tandemabitura cognosco. Adeoque non tam qualitatem noxiā impugno, quam suppositum agendi modum, propter quem mechanici veneni nomen consequutum est.

§. XXV.

Satis diu immorati sumus venenis regni mineralis causticis, violentas erosivas & inflammatorias operaciones habentibus. Sunt vero etiam in hoc genere tarde & insidiose agentia; ut & legi ac audivi superiorum quædam ita fuisse attemperata, ut noxam non nisi tardo progressu possent exercere. Non me hic immitto disputationi illi de venenis ad certum tempus agentibus, utrum dentur vel non dentur: glorior enim me nec præceptores habuisse, qui talia docere vellent, nec me unquam desiderasse talia discere. Si tamen de re ignota, ex principiis cetera notis, concludere licet, equidein puto, neminem posse credere, quod dentur venena, quæ quemcunque datum hominem, mortem promeritum, ne dicam ad præstitutum diem, sed ad mensem, certo possint interimere. Quemadmodum enim de medicamentis, quin alimentis etiam, certum est, quod non agant

agant secundum suas tantum vires, sed simul consideranda veniat subjecti receptivitas & reactio: ita etiam de venenis quibuslibet idem pronunciandum esse persuassimum habeo. Credo tamen, si quicquam aliud, saturnina ad lentas & chronicas contabescentias, hec ticosque morbos haud facile vincibiles, disponere. Cerrissam veteres catalogo venenorū publice inseruerunt, ac credo totam prosapiam plumbi non esse innocentem: plures tamen ex imprudentia forte lædi, quam ex malitioso proposito. Malitia fuit, quoniam publicis S.R.J. sanctionibus pridem interdicta fuerat, illorum solers improbitas, qui vina lithargyrio mangonisaverunt, longe que plurimis hominibus dederunt valetudinis irreparabilia damna. Quæso autem lectorēm benevolūm, quam multos oporteat lædi quotannis ipsemē cogitet ex hoc uno, quod in scriptis summorum virorum invenimus, vina revera sincera & purissima omnes mangonisatorū notas præbuisse, si ex lagenis staneo operculo munitis fuere infusa. Quid non fiet in familiis ubi lagenæ totæ stanneæ vino excipiendo & ad convivas apportando adhibentur: quid non in hospitiis & cauponis, ubi canthari stannei ubique regnant? Quid non in mensis, ubi acetaria, fructus horæ cocti & apparati stanneis patinis apponuntur? Sed omne stannum, Germanorum more fabrefactum, plumbi miscelam habet, quod a vino, aceto, fructibus horæis prompte exeditur. Miramur cur ætas parentum, pejor avis, nos magis morboſos minus que valentes ferat, & forte non satis cogitamus elegantiū sæculum minus valentes necessario debere ferre.

D. 2

§.XXVI.

§. XXVI.

Sed saturninorum noxam complectar uno exemplio. Juvenis generosissimus, quum gonorrhœa laboraret, iter ad urbem aliquam suscipiebat, ubi multi erant præsidarii milites, quorum præfecti plerique certabant in honore, ut loqui solet sæculum, ipsi exhibendo. Deprecabatur vinum, quod generosissimum offerebatur homini non nisi ex medici præcepto abstinere consueto. Intelligebant socii, quid rei subesset, suadebantque, ut pudore seposito, quum corrumpere & corrupti sæculum sit, genio indulgeret, certoque chirurgo crederet, qui medelam promtam facere nosset. Paret, ut solent homines, quod volunt, facile credere. Dat chirurgus pulverem, in quo erat saccharum saturni. Post aliquantum tempus obstinata alvi retentio inducit tormina tantum non convulsiva, ad iliacam passionem vergentia. Recluditur tandem victa alvus, superest febris mesenterica, typo quotidianæ incedens, sed vix intermittens. Hac diu conflictatus in quartanam pertinacem incidit, superveniente abdominis dura inflatione pedumque tumore: ut vix longo tempore & patientissima medela periculo eriperetur, & cum valetudine in gratiam reduceretur. Ponamus nunc succubisse hunc ægrotum, medicoque injunctum fuisse, ut viscera scrutaretur; vix utique credo futurum fuisse, ut præter labem, multis diuturnis communem, quicquam inveniret, quod ad chirurgi arguendam culpam faceret: forteque hic accusatus tantum invenisset patrocinii, ut bonus medicus, verum professus, injuriarum actionem vix potuisset effugere. Scilicet pluribus exemplis constat bonos

bonos viros causa cecidisse, ubi judicium non ab artificiis æquis latum fuit. Quis enim nescit figurum odiſſe figurum? aut veritatem odia parere?

§. XXVII.

Sed satis jam multum immorati venenis causticis & mineralibus, transimus tandem aliquando ad consideranda signa diagnostica venenorum ex profapia vegetabili: quorum aliqua sunt strangulatoria, alia narcotica & facultates animales pervertentia, aut omnino ad tempus abollentia. Iam attigimus ex genere narcoticorum & insaniam facientium hyoscyamum §. VIII. de cuius signis plura addere non est opus. Inter hujus generis reliqua venena eminet cicuta, ab antiquissimis temporibus notissima, quæ nec nostro tempore desinit noxas facere. Insaniam cum somnolentia insigni infert, testibus auctoribus, quorum indicem hic cumulare non placet: inflatur ventriculus, ruetus a stomacho emittuntur, pisces corruptos sapientes ac redolentes. Qui moriuntur, vix sine convulsionibus decedunt: qui vero medicinarum viribus servantur, exanthemata expellunt ex rubro subnigra, subaspera ac scabra: teste SIMON. PAVLI *in digress. de febr. mal.* §. 2. In seictis a morte ventriculus valde inflatus deprehenditur striis & maculis ex flavo livescientibus notatus: apertus spirat flatum olidum, exhibetque faburram ex viridi nigricantem, foliis cicutæ permixtam: teste WEPFERO *de cicut. aqu. p. 112.*

§. XXIX.

Cicuta aquatica radicibus tuis albis, dulcibus, saepe aliquos ad comedendum invitavit, ignaros noxiæ qualitatis. Modo laudans vir non minus doctissimus

D 3

quam

quam diligentissimus, aureum tractatum de hujus plantæ historia & noxis conscripsit. Septem pueri & puellæ radicibus his pasti exhibentur, quorum unus sex annorum intra dimidium horæ misere periit. Hilaris ac ridens a pastu isto, mox de præcordiorum dolore conquebat, humum prostratus urinam magno impetu emittebat: mox omnes sensus abolebantur, convellebatur, dentibus stridebat, oculos mire torquebat, sanguis ex auribus manabat, singultiebat, artus contorquebat, caput retrosum trahebatur. Ab obitu abdomen & facies intumuerunt, & ex ore cadaveris spuma viridis largissime emanabat, quæ saepe quidem detersa identidem reparabatur. Soror ejus felicior fuit, quod repetito vomitu maximam partem ejecit. Epilepsia tamen corripiebatur, deindeque per complures horas tanquam mortua jacuit: redit tamen ad vitam & sensus. Alius puer octo annorum, qui etiam nihil evomuit, parere ratione ac alter, cum diro opisthotono, extinctus est. Cicutæ minoris petroselini similis effectus noxiæ leguntur in *Commenc. litter. phys. medico Norimb. Ann. I. p. 178.* Scilicet hæc quoque cardialgiam inducit, tumorem magnum abdominis, totam superficiem ex cœruleo lividam reddit, respirationem difficilem facit, tandemque plane sufflaminat, simulque vitam aufert. In alio, qui evomuerat, mira deliria, seorsim metus a canibus, & felibus, quos multos videre credebat. Atque hæc omnia in ætate infantili ac puerili sic visa sunt in nostra Germania. Sed ATHAN. KIRCHERVS in *scrutin. pestis refert de duobus monachis, qui Romæ a cōlestis radicibus cicutæ mente capti insignis & exoticæ infanizæ signa derunt*

derunt, quum alter anserem se factum ratus in vicinum lacum se præcipitem daret, alter, anatem se credens, internum incendium extingui non posse, nisi in amne, crederet.

§. XXIX.

Cicutæ in multis convenient solanum, sive vulgare illud bacciferum officinarum, sive majus illud, quod furiosum, & Italico nomine Belladonna, vocatur. Solani vulgaris baccarum noxas apud *Wepferum* docet D. D. EL. RUD. CAMERARIVS. Scilicet tres unius rustici liberi his comestis cephalalgia & cardialgia corripiebantur. Dabatur oleum olivarum: major natu vomebat, duo minores nihil excernebant. lacebant torvo aspetto, jaicitabant membra, furibundi delirabant, alta petebant, vociferabantur, mire torquebantur, per intervalla mortuorum instar jacebant: medicinis datis post triduum convalescebant. De herba solani pro atriplice imprudenter cocta & comesta Erlangæ, utilissima expositio legitur, & unica, quantum memini, in hoc genere, in laudatissimo *commerc. literar.* Norimb. Ann. I specim. 47. Longum esset chronicci mali in pluribus personis decursum referre: sufficiat notasse, quod in plerisque tumor nigerrimus, ad exulcerationem gravem vergens, hinc inde enatus multum medentibus tedium objecerit: quod comparandum est illi observationi Sim. Pauli de cœuta comesta. Solani autem fruticosi, quod furiosum vocatur, noxae sunt magis cognitæ & a viro insigniter docto D. D. JO. MATTH. FABRO declarata memorabilis scripto, cui *strychnomanie* titulum fecit. Quid elo loclxxvii. Neostadii ad Cocharam viro adulto, multisque

tisque puerulis ab esu baccarum hujus solani evenerit, tredecim exemplis ostendit ille auctor, deindeque observationes quindecim aliunde petitas assert. Ne multis sim in omnibus recensendis, sufficiat retulisse hujus solani pathognomonica signa, delirium ineptum, oculorum splendorem & caliginem, deglutiendi difficultatem, urinæ frequentiam, ac tandem cutis decolorē asperitatem.

§. XXX.

Inter venena narcotica regnat datura, seu strammonia exotica, quam Solanum Indicum spinosum aliqui vocant. Non tam enecandis, quam injuria afficendis & ludibrio habendis hominibus datur: de quo pauca addo, lectorumque remitto ad illustr. Dom. PRÆSIDIS medic: consult: tom. IV. p. 45. & 50. Mandragoram quoque, utpote solanorum familiae accensemum vegetable, quod somnum & dulces phantasias inducere perhibetur, cum aliis hujus generis indigenis & exoticis, indeque præparatis, ipsisque opiatis, somnum profundum inducentibus, & saepe æternum soporem, leviter tetigisse mihi sufficiat, quum signum in sensu satis manifeste incurrens præbeant, a quo ductus medicus in examen omnium prægressorum & conuentorum descendere debet.

§. XXXI.

Venena strangulatoria sunt varia, quæ vel in cibum apparata cupide devorantur, vel medicinarum instar infausta manu offeruntur. Refero huc fungos, quos ATHAN. KIRCHERVS *scrutin. pest. cap. VI.*

VI. vivas toxicis bursas eleganter dixit. Quamquam enim sunt inter illos edules, qui pro innoxiiis habentur: sat tamen multis, quin saepe integris familiis, exitium attulerunt; cujusmodi historias a LEONARD. BOTALLO aliisque consignatas multas afferre liceret. Sunt valetudinariis & imbecillibus omnibus omnino relinquendi, ut optime consultit GALENVS de aliment. facult. Videtur plane eosdem specie fungos aliquo tempore insalubri succo foetos esse, ut valetudinem in praecips periculum adducere possint, pro eo forte, ac humiditas, quam imbiberunt a rore & pluviis, magis vel minus innoxia, vel qualitate vel quantitate, accessit. Alii accusant noxia animalia, quae illis infederunt, & sua effluvia in porosa eorum corpora immiserunt: quod ego quidem in medio relinquuo. Ad hujus generis venena pertinent etiam alia strangulativo principio pollentia, sed cum salino cathartico coniuncto. Taliā sunt elleborus uterque, in quo omnes veteres strangulatorias vires extimuerunt, easque superare docuerunt. Inter recentiores easdem confirmat FR. VALERIOLA lib. III. obs. II. & CONR. GESNERVS in epistolis. Eadem virtus cum sale erosivo inflammatorio coniuncta cernitur in aconito & napello, toto genere noxiis plantis, magis tamen per Italiā & magis calidas regiones, quam in nostratis plus temperatis.


§. XXXII.

De venenis, quae aliunde, quam per os, corpori inferuntur, parum habeo explorati. Arma talibus infici solere nimis quam certum est: ex quo fit, ut vulnera talibus inficta mox initio mala signa ac fune-

E sta

sta ostendant, quæ a vulneris aestimatione tanta exori-
ri non poterant. Signa talium exponit ABROS.
PARÆVS lib. X. Cap. 21. idemque capite XIII. graviter
differit adversus eos, qui sine necessitate venenata ar-
ma clamant & accusant, ubi aëris circumfulsi maligni-
tas gravia symptomata accessivit, sive ille sit hyemalis
frigidissimus, sive aestivo tempore vappidus & paludosus
exhalationibus impuris infectus: quod totum caput
consideratione dignissimum existimo. Subtiliores ve-
nena inferendi modos per chirothecas, sedilia, epi-
stolas, suffimenta, pulverem sternuntatorium, & simi-
lia dari, legi & a multis audivi. Retulit mihi vir fide
dignus, quod viderit balsamum, qui naribus illitus
statim mentem perverterit ad aliquot momenta; eum-
que Roma allatum. Diabolicas tales artes toto animo
abominor & abhorreo, meque de illis erudiri noluisse
glorior. De venenis a morsu & ieiunib[us] venenatarum
& rabiosarum bestiarum vix oritur in foro quaestio, res-
que aliunde facile innotescit: quare telam ab-
rumpimus atque huic commentatiun-
culæ facimus

F I N E M.



NOBILI ET PRÆCLARE DOCTO
DOMINO CANDIDATO
PRÆSES.

De venenorum cauta & circumspecta accu-
satione dum in præsenti inaugurali speci-
mine docte differere annis es ; illud u-
nicum adhuc serio monere necessarium
duxi : eam videlicet esse rerum naturalium , quæ in
alimentum vel etiam insignem medicinam quotidiana
experientia teste cedere solent , naturam atque in-
genium , ut in corporibus languidis & morbo obnoxiiis , im-
provide & minus caute usurpata veneni naturam non
raro assumere & referre possint . Nihil jam dicam de a-
crioribus , quæ vomitum & alvum cident , evacuan-
tibus ; nihil de medicamentis , quæ antimoniales , vel
mercurialis aut metallicæ sunt prosapie . Mitto quo-
que ea medicamentorum genera , quæ sulphure quo-
dam anodynō sive narcotico , enormes systendi motus ef-
ficacia pollent ; sed tantum ex censu alimentorum po-
tum aquæ frigidae , imo aquarum medicinalium , i-
psum lac ejusque serum , vinum quoque ejusque spi-
ritum , ex medicamentorum sylva , martialia , salia
volatilia oleosa , nitrosa , corticem chinæ in exem-

E 2 plum



plum adducam ; que uti recto usu saluberrima , ita
perverse non convenienti tempore , ordine & dosi u-
surpata summe perniciosa sunt. Ex quo clare intel-
ligitur summi nostri Hippocratis salutare illud in li-
mine aphorismorum suorum propositum monitum : ju-
dicum in medendo esse difficillimum, & artem experi-
mento periculosam. Eo autem magis non modo vul-
gi sed & eruditorum præsertim eorum, qui sibi plus
quam aliis judicio & prudentia placent, miranda est
consuetudo: quod tam temere de Medicis & medicamen-
tis judicia sua, licet peruersa, palam referre mi-
nus erubescant. Quum vero ars nostra non in
perniciem & destructionem generis humani, sed in
eius salutem & conservationem sit inventa & excul-
ta ; ideo summa cura & prudentia , qui ejus exer-
citio operam dare vult , providere debet , ne invi-
tus & contra voluntatem plus detrimenti in meden-
do agrotantibus quam commodi & emolumenti affe-
rat. Merito igitur eorum collaudanda est opera, qui
dum per salutarem artem proximi commodum promo-
vere animum induxerunt , non modo res, quæ corpo-
ri sunt salutares , atque in his vel illis morbis uti-
les deprehensa , annotare , sed et qua ratione corpo-
ri nocere possint , operose scrutandi nullam præter-
mittunt occasionem. Atque inter hos quem publice
commendem , dignum Te clarissime Domine Can-
didate judico : quippe qui Medicinam non levi , ut
ajunt

ajunt, brachio tetigisti, sed in indagandis maxime
rerum, que corpori utiles & noxiæ evadere possunt,
genuinis virtutibus ac usu, laudatissimam semper o-
peram collocasti: cuius non infructuosa diligentia
specimen & in præsenti inaugurali Tua dissertatione
exhibuisti; qua quin & apud Medicos & Jure Con-
sultos plurimum laudis ac gratia Tibi sis conciliatu-
rus, nullus dubito. Quemadmodum vero cautis &
circumspectis Medicis nihil cedit infeliciter; ita
quod Tu, si ea, qua bene cœpisti, via incedere per-
gis, optatissimos in praxi facturus sis progressus, &
ægrotantium commodo magna cum laude aliquando
inseruiturus, certissime confido. Quod reliquum est,
in me, quamdiu superstes fuero, promptum ad felici-
tatem Tuam promovendam atque paratum ani-
mum semper deprehendes. Vale. Dab. e museo d. 28.
Maji 1734.

DVm Mavors sævit, majoraque bella parantur,
Dumque urbes fractas Itala terra dolet;
Pacis amans alias medicinæ inventor Apollo,
En! pariter pugnas doctaque bella ciet.
OPTVME FAVTORVM, TE nunc in prælia dicit,
Omnibus ut pandat nobilis artis opus.
Ascendis cathedram, sepe exhortantur in arma
Pierides frustra; nam cito victor abis.
Hinc Musæ produnt certatim gaudia plausu,
TVque ipsis olim principis instar eris.

Accipe decretum! Nomen Titulosque supremos,
Artibus addictos præmia digna manent.
Gratulor ergo TIBI lauros celebresque triumphos,
Præmia, virtutes quæ meruere TVAE.
Dulcem jam patriam volitat TVA fama per urbem,
Plus TIBI mercedis vita diesque dabunt.

*Summos in Medicina honores Docilissimo atque
Experientissimo Dn. Candidato, Fauтори &
Amico suo admodum Colendo, eo, quo de-
bebat, affectu, gratulabatur.*

Christianus Salomo Zachariae,
Adv. Immatr. et Praef. Delit.
h. t. Vice Aetuar.

SEr Purpur, den Dir heut Fridriciana giebt,
Heist Ehr und Ruhm zugleich mit Deiner Wür-
de steigen;
Selbst dein Verdienst macht sie gleichsam in Dich verliebt,
Und will im voraus Dir die Ehren- Lorbeern zeigen,
Die künftig zum Gelück Dir werden häufig blühn.
Denn Dein geschickter Geist wird sie schon kennbar machen,
Und deinen Tugend-Ruff gar in die Fremde ziehn,
Wenn Reid und Mißgunst auch darüber solten lachen.
Indessen schreibe ich zu Deinem Purpur-Hut:
Es müsse solcher Dir auf diesem Rund der Erden
Ein glücklich Recipe, das stete Wirkung thut,
Zu deinem höchsten Ruhm, bey Jung und Alten werden.

Mit diesem wenigen wolte seinem hochwerhesten
Freunde zu der erlangten Doctor-Würde
in aller Eil gratuliren

Christian Heinrich Mößler,
Consist. Lips. Registrator.
Auda-

Audaces fortuna juvat, eautosque tuetur,
Hos nunquam, sed eos s^epe relinquit iners.
Vidinius hinc, facili quod sit victoria curæ,
Cui mala non ponunt obvia qua^eque moras.
Vidimus at, summo falli molimine, cuncta
Qui mala ridentes nulla pericla timent.
Nil manet invictum medium servantibus, ausus
Qui nimis audaces, qui timidosque cauent.
Parque manet Medicos spes & fortuna, labores
Si constans animus consiliumque juvat.
Hinc TIBI fautricem, PARREIDT DOCTISSIME,
fortem
Spero fore, & felix ominor artis opus.
Singula TE Medicum produnt conamina cautum,
Insuper & prælens pagina docta docet.
Perge cavendo bona fortis nutrire favorem;
Et semper fructus experiere bonos.

Ita CLARISSIMI DOMINI DOCTORANDI honoribus applaudit

Ernestus Gotthold Struve

Primislav. Ucaro March.

Med. Cand. oppon.

QVAM prudente TIBI dudum virtute parasti,
Hanc solide firmat docta Minerva viam.
Dumque bonis nunc auspiciis procedis eadem,
Gratus eris patriæ, faustus & ipse TIBI.

Ita Nobilissimo Dno. Doctori de egregio eruditio-
nis specimine gratulaturus merito o-
minatur

Philippus Adolphus Boehmer,
Med. C. oppon.

Vade

VAde, occide Caim(*) : Nam sic, qui justa labo-
rum


Nunc Tibi constituunt præmia , rite jubent.
Vade, occide Caim : Nam sic ars poscit & usus,
Poscit id ingenium , poscit & apta manus,
Vade, occide Caim : Nam Te fortuna manebit,
Et cœptis aderit non nisi dextra Tuis.

(*) Vid. Resolutionem probl. Monspeli. Wade & occide Caim ;
ubi per Caim indigitantur morbi : *Colica, Apoplexia, Ile-
um, Morphæa.*

Hæc gratulabundus adjecit

Christianus Erdmann Schumannus,
Theol. Stud.





DISSE^RTAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
CAVTA ET CIRCVMSPCTA
VENENI DATI ACCVSATIONE

QVAM
AVSPICE SVMMO NVMINE

EX CONSENSV ATQV^E
FACVL^E

IN ALMA

DN. FRIDERIC
ACADEMIÆ ORDINIS
ET h

PRO GRA
SVMMISQVE IN MEDICI
MORE MAIOR

H.
D. 29. Ma

PLACIDÆ ERVDITOR^E
AVCTO^E

JOHANNES GOD
DELIC^E

HALÆ
Typis Ioh. CHRIST.

